Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36639
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



138

Conuentione autem facta cum operariis
& denario diurno misit eos in uineam suam.
Parabula ista uel similitudo regni caelorum
& his quae premissa sunt intellegitur.
Scriptum est enim ante eam multi erunt primi
nouissimi & nouissimi primi. Non tempore
differente dno sed fidei. Dicitque patrem
familias primo mane egisse ut conduceret
operarios in uineam suam, & pretium operis
constituisse denarium. Deinde egressus
circa horam tertiam uidisse alios stantes
in platea otiosos. & illis neque quam denarium
sed quod iustum est fuisse pollicitus. Sexta
quoque hora & nona quoque fecisse similiter.
Undecima autem inuenisse se alios stantes
qui tota die otiosi fuerant & misisse eos in uineam
Cum autem sero factum fuisset & praecipisset
procuratori suo ut a nouissimis incipere & reddere
Hoc est ab operariis horae undecimae usque
ad operarios horae primae omnesque pariter
contra nouissimos inuidia concitatos